Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8260
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

porcinis et de alijs cibis in lege pro-
hibitis A quibus ecclesia primitiua ecclesia
abstinendum fuit ad tempus ad vitandum
scandalum infirmorum Iuxta illud Apostoli
prime ad Cor. 8° Si esca scandalizet
fratrem meum non manducabo car-
nem ineternum ne fratrem scandalizem
Et non intelligitur vnum illud de solo pas-
siuo sed pro utroque de actiuo scandalo quod quia
peccatum est proximi Ideo nunquam est aliquid
ad eo faciendum Ad 2m dicitur
quod secundum Augustinum in de sermone
domini in monte Illa precepta pacie in-
telligenda sunt secundum preparacionem animi Vt
scilicet homo sit paratus pocius iniuriam
pati quam subire iudicium si hoc expe-
diat ad correctionem proximi in iniuriatis
ad quem utilitatem etc. Nunquam tamen
non expedit vt ex dictis Eodem modo
intelligendum est verbum Apostoli Vel dicitur
quod apostolus loquitur de repeticione
cum scandalo actiuo cum quo repetere
est delictum sive cum quis repetit non
suum Aut quando que vult vel apparere
aut repetit suum sed modo indebito vel
loco vel tempore indebito aut coram quo
non est repetendum et omnibus Ad
3m dicit s. tho. Ex scandalo
quod apostolus vitabat predebat ex ig-
norancia gentilium qui de hoc non
consueuerant Et ideo ad tempus ab-
stinendum fuit vt prius instruerentur
quod debitum esset Et ex simili causa
ecclesia abstinet a decimis exigendis
in terris in quibus non est consuetudo
decimas soluere Et dicit Allexander
de hal. Quod licitum fuit apostolo
et adhuc licitum est seminanti spiritua-
lia accipere sumptus ab hijs quibus seminat
Dominus enim dicit in ewangelio Dignus
est operarius cibo suo Mt. x° Et
super illo prime ad Cor. 9° Nescitis
quoniam qui in sacrario operantur que de
de sacrario sunt edunt Dicit glossa
Naturalis racio hoc habet Vt quis
inde viuat vnde laborat Quamuis
ergo apostolus potuisset licite sumptus ac-
cepisse ab hijs quibus euangelium predi-
cauit tamen accipere omisit propter perfectionem
caritatis Vt vitaret scandalum eorum
qui auari erant et ut haberent maio-
rem libertatem arguendi eos et ut
pseudo predicatoribus et apostolis occasionem
rapiendi subtraheret Ita hodie pos-
sunt sumere sumptus moderate tamen sed immo-
derata procuracio temporis a preposito non
debetur Distinctio xliii de resurrectione

Postremo de condicionibus resur-
rectionis etc. Post quam
magister determinauit de sacramentis
que pertinent ad ecclesie presentem statum
Nunc incipit determinare de
hijs que pertinent ad ecclesie vlti-
mum statum scilicet de resurrectione et remu-
neracione Et in hac distinctione determinat
de resurrectione et circumstancijs eius
In cuius prima parte probat resurrec-
tionem esse futuram In 2a determinat
quasdam resurrectionis circumstan-
cias ibi Causa enim resurrectionis Primo
circa illam distinctionem queritur Vtrum
generalis resurrectio omnium sit futura
Arguitur quod non quia Ecclesiastes
3° dicitur Vnus est interitus hominum
et iumentorum sed iumenta non re-
surgent ergo etc. Item Job 14° Homo
cum dormierit non resurget donec at-
teratur celum non euigilabit sed celum
nunquam attereretur cum sit incorrup-
tibile Et terra de qua nunquam videtur
ineternum stat Ecclesiastes primo ergo etc. In contrario
dominus Mt 22° probat resurrectionem
per istam auctoritatem Ego sum deus Abra-
ham Deus ysaac Deus Jacob quia
non est deus mortuorum sed viuencium
Constat autem quod quando illa verba
dicebantur Abraham ysaac et Jacob
non viuebant corpore sed solum anima
Igitur resurrectio non erit corporum
sed solum animarum Item Apostolus prima ad
Cor. 15 videtur probare re-
surrectionem ex remuneracione laborum quos
in hac vita sustinent sancti sed suffi-
ciens remuneracio omnium laborum hominis
potest esse in sola anima Non enim omnis condistincta